



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio 1. Proœmialis de natura Physicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

TRACTATUS

IN OCTO

LIBROS PHYSICORVM,

SEV DE NATURALI AVSCULTATIONE.

DVO genera librorum tradidisse Aristotelem ipsius animaduerrere discipuli: vnum eorum, quos *populares* vocauit, quod ad vulgi captum accommodati non magnam requirerent attentionem in auditoribus, hosque tempore pomeridiano dictare solebat: cuiusmodi erant Historia animalium, & ij, quos de Arte Rhetorica, & Poëtica scripsit. Alterius rationis libros composuit de rebus, quæ sine magno studio & diligentia capi non possent, quos propterea matutino tempore, vt pote studiis magis opportuno, dictabat, & *auscultatorios* vocabat, quod magna attentione audiri deberent. Huius generis sunt, quos de naturali Philosophia, & Metaphysica scripsit. Ex quibus cum sint hi octo libri, quorum explanationem, quantum ad difficultatum præcipuarum, quæ in controuersia possumt esse, iam aggredimur, facile est percipere cur de Physica, seu naturali auscultatione nuncupentur. Ratio enim est, quod tractent de natura, & rebus naturalibus vt sic, quæ vt recte intelligantur, magnam requirunt in auditoribus attentionem; vnde idem est dicere, quod hi libri sunt de naturali auscultatione, ac quod sint de rebus naturalibus exigentibus auditores valde attentos. Quamuis autem plurimi soleant ipsum textum Aristotelis, vel integrum, vel in compendium redactum proponere, & explanare; tamen ab ea cura mihi supersedendum videbatur; tum quod ab aliis satis accurate id factum sit: tum & præcipue quia magis de ipsa veritate indaganda, quam de mente Aristotelis sollicitus non solum ipse semper eram, sed alios etiam omnes esse velim; & operam fere perdi existimem, dum multum temporis, ac laboris in hoc, vel illo modo explicandi ipsam collocatur.

LIBER I. PHYSICORVM.

DISPV. I.

Proæmialis de natura physica.

QUAMVIS ex iam dictis constet hanc scientiam, quæ Physica vocatur esse scientiam, quæ agit de physici, id est natura ac de rebus physicis, seu naturalibus; tamen vt adhuc exactius, quid sit cognoscatur, instituenda erat hæc disputatio.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit obiectum Physica.

VT in omnibus, quæ de scientiarum obiectis mouentur, controuersis, ita etiam in hac variæ sunt Doctorum sententiæ, quarum aliquæ inter se solo nomine discrepant, aliquæ etiam re.

Prima sententia, est ens mobile, vt est commune entibus & immaterialibus, v.g. Angelis, esse obiectum adæquatum Philosophiæ naturalis. Hanc tenent ex Scotistis Antonius Andreas de tribus principiis quæst. 1. Trombetta 6. Met. q. 1. Ioannes Canonicus 1. Physicorum q. 1. Regentes Pa-

risenses quæst. 4. Physic. eam etiam sequendam arbitratu Auerſa, ex suppositione quod Physica esset scientia distincta à Metaphysica, quam tamen suppositionem ipse putat falsam contra communioem Philosophorum sententiam; de quo postea.

Secunda sententia est ens mobile, non vt comprehendit immaterialia & spiritalia, sed vt commune est ad materialia, tam substantialia, quam accidentalia, esse obiectum adæquatum Physicæ: sic sentiunt Gratia Dei q. 1. Physica, Ferrar. q. 2. & alij Thomistæ: eam teneret Auerſa, si Physica à Metaphysica esset distinguenda, & non consideraret spiritalia.

Tertia sententia dicit obiectum Physicæ esse ens mobile, prout comprehendit omnes & solas substantias materiales mobiles, etiam includendo materiam & formam: hanc sequitur Alphonsus à Veracruz 1. Physic. spec. 2. proæm. Antonius Scaynus in præfatione Physica.

Quarta sententia est, ens mobile, vt comprehendit solas substantias materiales compositas esse obiectum adæquatum huius scientiæ. Hanc proponit Auerſa, sed nullum auctorem pro ea citat, nisi quod dicat eam videtur Arist. 6. Metaph. c. 1.

Quinta sententia est quod nihil mobile, vt mobile, sit obiectum adæquatum Physicæ, sed potius aliquid naturale, vt naturale, & dicunt illud aliquid esse corpus, seu substantiam naturalem vt sic. Hæc est communior inter Scotistas, & eam tenet expresse Faber theoremate 20.

Sexta sententia est, quod obiectum eius sit corpus, aut substantia generabilis & corruptibilis. Hanc tenet Raguſanus disp. 1. Peripatetica, & attribuitur Galeno ac Simplicio.

Septima sententia distinguit de Physica seu Philosophia naturali, & dicit Physicæ Peripateticæ, quam scilicet tradidit Aristoteles, obiectum esse substantiam materialem naturalem; Physicæ vero secundum se consideratæ, & non quatenus ab ipso tractabatur, obiectum esse substantiam naturalem, vt comprehendit Angelos, & in hoc sensu conuenit cum prima sententia. Hanc tenent Regentes Perisini ordinis Minorum Conuentualium hic, quos breuitatis causa deinceps nomine *Maſtri*, qui ex illis erat principalior, citabo, sicut feci in Logica. Aliæ etiam sententiæ citari possent, sed ex dicendis, quid de ipsis sentiendum sit constabit.

3. Pro decisione huius controuersiæ notandum est, agi hic de obiecto incomplexo aliquo vno ex pluribus, quæ in Physica considerantur, ad quod cætera omnia obiecta reuocari potius debent, quam ad aliquid aliud ex illis pluribus obiectis. Deinde notanda sunt cætera, quæ præmissimus de obiecto adæquato Logicæ, quæ hic etiam vsui erunt.

Præterea aduertendum eos, qui dicunt ens, substantiam, aut corpus mobile esse obiectum Physicæ, non velle mobilitatem formalem ingredi rationem formalem istius obiecti, cum illa sit proprietas demonstrata de illo obiecto, sed intelligere per illam mobilitatem, mobilitatem radicalem, quæ est radix, ex qua pullulat illa mobilitas formalis; quæ mobilitas radicalis conuenit in re cum naturalitate, quam alij authores dicunt esse rationem formalem obiecti physici, vnde inter illos & hos non est nisi quæstio de nomine, quæ quam fieri potest, est vitanda, quando de re agitur.

Mobilitas
fundamen-
talis coin-
cidit cum
naturalitate.

CONCLUSIO I.

Obiectum
adequatum
Physicæ
non est
substantia,
nec natu-
ralis, nec
mobiles,
vt sic.

Angeli nō
sunt cōsi-
deratio-
nis phy-
sicæ.

4. Nec substantia mobilis, nec substantia naturalis vt sic, quatenus comprehendit substantias immateriales, vt Angelos, est obiectum adequatum Physicæ, siue secundum quod tradita est à Philosopho, siue secundum se. Hæc est contra primam & septimam sententiam, & eam tenent reliqui auctores cōmuniter, tam Scotistæ, quam Thomistæ. Probat, quia Angeli non sunt per se cōsiderationis physicæ: ergo substantia vt sic in illa latitudine, in qua comprehendit Angelos, non potest esse obiectum adequatum Physicæ; eatenus enim substantia vt sic, esset huiusmodi obiectum, quatenus Angeli per se considerari deberent à Physica non minus quàm substantiæ materiales. Probat, antecedens, in quo solo potest esse difficultas, quia Angeli secundum omnem rationem sunt considerationis metaphysicæ: ergo secundum nullam rationem sunt cōsiderationis physicæ, supposito, quod Physica & Metaphysica sint sciētia distinctæ, de quo postea. Probat, antecedens, quia secundum omnem considerationem abstrahunt à materia non solum singulari, sed physica non minus quàm cætera obiecta, quæ sunt considerationis metaphysicæ; ergo sunt cōsiderationis metaphysicæ secundum omnem rationem non minus, quàm cætera illa obiecta.

Confirmatur, quia secundum omnes, qui distinguunt Physicam à Metaphysica, est talis distinctio inter obiecta utriusque, vt omnia obiecta metaphysica abstrahant à materia physica; nulla autem obiecta physica abstrahant ab illa, sed potius inuoluant illam, aut dicant aliquem ordinem ad illam: ergo cum Angeli sint omnino spirituales, nec inuoluant aut dicant per se ordinem ad materiam, debent esse cōsiderationis metaphysicæ, & non physicæ.

Confirmatur secundo, quia non potest esse dubium, quin posset institui tractatus vnus de rebus omnibus materialibus, qui tractatus haberet pro obiecto adequato vel aggregatū ex omnibus rebus illis materialibus, vel aliquod vnum ex illis, & ad quem propterea non spectaret aliquod obiectum immateriale; nec potest etiam esse dubium quin de omnibus illis rebus deret ex natura rei aliqua vna scientia saltem vnitate aggregationis aut ordinis, quæ vna scientia ex natura sua intrinseca distinguatur à cæteris scientiis, quæ habentur de aliis obiectis quibuscumque, & nequeat considerare per se aliquod aliud obiectum; vnde ad talem scientiam, neque secundum se, neque secundum quod traderetur ab illo, spectarent Angeli, neque consequenter obiectum adequatum ipsius posset esse aliquid quod comprehenderet tanquam speciem Angelos, vt est euidens. Quod si huiusmodi scientia sola vocaretur Physica, certum esse debet quod Angeli non essent considerationis physicæ, neque secundum se, neque secundum quod tradita est à Philosopho; sed de facto huiusmodi sciētia sola vocata est Physica, vt patet non solum autoritate Philosophi, sed cōmuniore Doctorum sententia, cui in questione de nomine multum est deferendum; talis autem questio est, an sola scientia agens de rebus materialibus solis vocetur Physica, necne. Hæc confirmatio valde suadet conclusionem, & omnino inutilem reddit distinctionem illam Physicæ secundum se, & secundum quod tradita est à Philosopho, quæ vtuntur auctores septimæ sententiæ.

Distinctio
Physicæ
secundum
se, & secundum
quod tradita est
à Philosopho, est
inutilis.

6. Quibus authoribus nullo modo patrocinatur Scotus. 6. Met. q. 1. tantum abest, vt manifeste docuerit ipsorum sententiam; nam quamuis habeat quod substantia separata sit subiectum secundæ scientiæ speculatiuæ possibilis intellectui cognoscenti ipsam sub propria ratione, tamē non dicit, illam secundam scientiam esse Physicam, quod nihilominus dicere deberet, vt doceret illorum sententiam. Itaque sensus Scoti est satis clarus, quod nimirum si ad Metaphysicam (quæ cum agat de ente vt sic, est prima scientia) solum spectaret ens vt sic, & immaterialia quatenus à nobis imperfecte pro hoc statu cognoscuntur, secundæ scientiæ, quæ posset haberi de rebus, deberet agere de rebus immaterialibus seu substantiis spiritualibus separatis à materia: sed hoc posset esse verum, quamuis illæ substantiæ separatæ non spectarent ad Physicam, neque secundum se, neque secundum quod traditur à Philosopho, quandoquidem

dem non sit necesse vt secundum illa scientia sit Physica: ergo ex Scoto non habetur in illo loco quod Angeli spectent ad Physicam, aut secundum se, aut secundum quod traditur à Philosopho.

Hæc omnia magis patebunt ex responsione ad fundamentum aduersariorum, quod iam proponetur per modum obiectionis.

7. Obiicit primo, Prima & cōmunissima passio seu proprietas, per quā Philosophia naturalis seu Physica à Metaphysica distinguitur, est mobilitas: ergo subiectū huius proprietatis adequatum debet spectare ad Physicam, vel secundum se, vel secundum quod traditur à Philosopho; sed adequatum subiectum istius proprietatis est substantia finita vt sic, communis Angelis, & corporibus: ergo illa substantia est obiectum adequatum Physicæ, aut secundum quod traditur à Philosopho, aut secundum se.

Confirmatur hoc proponendo eandem difficultatē clarius: cuiuscumque conuenit proprietates, per quam Physica distinguitur à Metaphysica, & cæteris sciētis, illud debet esse cōsiderationis physicæ, & non metaphysicæ, nec vilius alterius sciētia, aliàs per eā nō posset distingui ab illis aliis scientiis: sed mobilitas est talis proprietas: ergo cuiuscumque conuenit, debet esse cōsiderationis physicæ: sed Angeli sunt mobiles non solum moribus instantaneis ad intellectiones, & volitiones, sed etiam motu locali etiā successiuo, ergo sunt considerationis physicæ. Hoc autē supposito sequitur substantiam vt sic, communem materialibus, & immaterialibus esse obiectum adequatum Physicæ, & corrumpit totum nostrum fundamentum.

Confirmatur secundo, quia Angeli vt mobiles spectant ad aliquam scientiam: non ad Metaphysicam, quia hæc agit de substantiis immobilibus tantummodo: ergo ad Physicam saltem secundum se.

Respondetur negando antecedens; non enim mobilitas vt sic, neque mobilitas quæcumque, est adequata passio, per quam Physica distinguitur à Metaphysica; id quod etiā ipsis aduersariis fatendum est, quandoquidem fateatur de facto in Metaphysica agi de mobilitate Angelorum, cum negent Physicam, prout de facto à nobis habetur, agere de Angelis, licet dicant Physicam aliquā possibile agere de illa. Mobilitas ergo, quam considerat sola Physica, & qua à Metaphysica discernitur, est mobilitas competens substantiis corporeis aut materialibus; & per hoc patet ad duas confirmationes, quarum utriusque minor est neganda cum probatione minoris secundæ confirmationis.

Et hæc responsio in re conuenit cum illa, quam dant alij auctores, qui dicunt mobilitatē Angelorum non spectare ad Physicam: quia non est physica mobilitas; intelligunt enim per physicam mobilitatem illam, quæ cōpetit corporibus, siue ille motus sit instantaneus, & indiuisibilis siue sit successiuus ac diuisibilis. Verum est quod alij alio modo explicant mobilitatem physicam, sed hic modus explicandi, & clarior est, & minus difficilis.

CONCLUSIO II.

8. Physica est scientia sic distincta à Metaphysica, vt habeas obiectum adequatum distinctū ab obiecto adequato Metaphysicæ. Hæc est cōmunissima cōtra Auersem hic q. 1. scilicet 6. qui alios etiam pro se citat. Probat, autem manifeste, quia certum est, quod scientia agens de rebus corporeis solis distinguatur à sciētia, quæ agit de rebus spiritualibus, & gradibus qui sunt communes spiritualibus ac corporeis: sed per Metaphysicam intelligunt auctores communiter scientiam, quæ agit de rebus abstractis à materia, seu incorporeis; & per Physicam intelligunt scientiam, quæ agit de rebus corporeis indagando naturas, principia, & causas earum: ergo Physica, & Metaphysica secundum quod communiter intelliguntur hæc nomina, sunt scientiæ distinctissimæ, & distincta habet obiecta adequata, siue intelligamus per obiectum adequatum aggregatum ex omnibus obiectis, quæ considerantur in scientia, siue intelligamus vnum aliquod ex pluribus obiectis, quæ in scientia considerantur. Quod si Auersem non velit intelligere per Metaphysicam & Physicam hoc, quod cæteri auctores cōmuniter intelligunt, excitat tantum questionē de nomine, & eo ipso habebit peiorem partem,

Physica
habet ob-
iectū ade-
quatum
distinctū
à Meta-
physica.

partem, quod uti voluerit nomine in particulari acceptione, in qua Doctores communiter eo non utuntur absque vrgenti causa.

Confirmatur hoc, quia quamvis posset quis aggregatum ex omnibus particularibus scientiis, quæ includuntur in Metaphysica & Physica vocare vnam scientiam totalem, & quamvis hæc scientia totalis haberet vnum obiectum adæquatum, & vocari posset commode non solum Philosophia, sed etiam Philosophia naturalis, intelligendo per Philosophiam naturalem scientiam de naturis rerum, earumque principiis ac causis acquisibilem viribus naturæ, quod vltro concedo; tamen non inde sequitur, quod Metaphysica ut Metaphysica, id est ut significat scientiam agentem de rebus abstractis à materia & corporeitate, non distinguatur & secundum se & secundum obiectum à Physica ut Physica, id est à scientia tractante de rebus corporeis aut materialibus.

9. *Obijcies primo* pro *Auerſa*: Non adest conueniens modus distinguendi Metaphysicam à Physica, quia non possunt assignari obiecta adæquata. *Respondetur* hoc negando, cuius ratio patebit ex dicendis.

Obijcies secundo: Res considerata in Metaphysica & Physica habent inter se magnam connexionem: ergo non debent esse distinctæ scientiæ.

Respondetur negando consequentiam, quia licet animal & homo sint maxime connexa, tamen scientia, quæ est de homine, est distincta rationis à scientia, quæ est de animali: & sane eodem modo, non obstante quacumque connexionem, quæ est inter obiecta Physicæ & Metaphysicæ, certum est ipsas esse scientias diuersas, si intelligamus per Physicam scientiam de corporeis, & per Metaphysicam scientiam de incorporeis.

Obijcies tertio: De facto multa ex rebus, quæ dicuntur spectare ad Metaphysicam, tractantur in Physica, & e contra multa, quæ dicuntur spectare ad Physicam, tractantur in Metaphysica: ergo signum est, quod non distinguatur.

Respondetur negando consequentiam, quia metaphysica non tractantur per se in Physica, nec physica in Metaphysica, sed tantum per accidens, sicut metaphysica multa tractantur in Logica, & plurima quæ per se spectant ad vnam materiam Theologicam, tractantur in alia materia Theologica, cum tamen hoc non obstante Logica distinguatur à Metaphysica, & vna materia Theologica ab alia. Itaque aliud est quod authores proponant inter proponenda obiecta physica aliqua obiecta metaphysica, quæ etiam in iis, quibus proponuntur, generant scientiam metaphysicam, quod non solum fieri potest & solet, sed etiam vtiliter fit; aliud est quod illa obiecta sint physica, aut scientia de ipsis habita sit physica scientia.

10. Et per hoc patet ad reliqua, quæ *Auerſa* congerit in illa sectione, qui etiam sectione sequenti frustra conatur sententiam suam Aristotelis auctoritate munire, ut facile esset ostendere, nisi sufficeret nobis quod ipsemet fateatur Aristotelem clare distinxisse Metaphysicam & Physicam tanquam duas scientias, id quod ex ipsis nominibus manifestum est: cur enim vna vocaretur Metaphysica, id est transnaturalis vel supernaturalis scientia, & altera Physica, id est naturalis scientia, nisi essent scientiæ distinctæ, & nisi haberet obiecta adæquata distincta?

CONCLUSIO III.

11. *Obiectum adæquatum Physicæ non est substantia generabilis & corruptibilis*. Hæc est communior contra sextam sententiam, & patet, quia certum est quod cæli spectent ad Physicam, & tamen non sunt substantiæ generabiles aut corruptibiles ut communiter supponitur.

Confirmatur, quia Aristoteles habet in sua Physica peculiarem tractatum, in quo per se & expresse de cælis agit, nec est vlla ratio aut auctoritas, cur excluderentur à consideratione Physicæ; nec spectat ipsorum consideratio ad Metaphysicam, aut vllam aliam scientiam: ergo dicendum est, quod spectent per se ad Physicam.

Obijcies: Nulla substantia est considerationis physica, nisi substantia naturalis, id est constans natura, sed cæli non constant natura, quia non constant materia & forma, quæ solæ sunt naturæ physica considerationis, nec vlla alia substantia constat materia & forma, quæ non

sit generabilis & corruptibilis: ergo solæ substantiæ generabiles & corruptibiles sunt obiecta Physicæ.

Respondetur negando minorem, tum quia secundum communio rem sententiam cæli constant materia & forma: tum quia quamvis non constarent materia & forma physica, sed essent substantiæ physice simplices (de quo suo loco) adhuc tamen constarent materia, quia constarent principio corporeo primo motus & quietis, quod principium est natura, prout natura accipitur hic.

CONCLUSIO IV.

12. *Substantia composita ex partibus essentialibus physice non est obiectum adæquatum Physicæ sub illo conceptu*. Hanc tenet *Rocco* hic q. 3. vbi tamē male dicit corpus mathematicum non distinguī realiter à corpore naturali, cum tamen ibidem dicat corpus mathematicum esse quantitatem, quantitas autem secundum communem sententiam distinguatur à substantia: est autem conclusio contra *Complutenses* q. 4. n. 6. & videri potest esse contra illos auctores, qui putant omnem substantiam corpoream esse compositam, sed reuera non reperio illam expresse negari ab illis.

Probat autem, quia quamvis cæli non essent compositi ex materia, & forma, adhuc tamen essent considerationis physica: ergo substantia composita ut sic non est obiectum adæquatum Physicæ.

Confirmatur, quia quamvis cæli non essent sic compositi, nec etiam homo aut ignis, aut aqua, non essent considerationis metaphysicæ, nec vllius alterius scientiæ ex illis, quas de facto habemus; ergo essent considerationis physica, & consequenter substantia composita non est obiectum adæquatum Physicæ.

Confirmatur secundo, licet generabilitas, & corruptibilitas, non posset competere nisi substantiis compositis, tamen motus localis & alij motus ad qualitates possent competere substantiis, quæ de facto sunt compositæ, quamvis non essent compositæ: sed Physicæ est considerare substantias non solum ut mobiles motu generationis, & corruptionis, sed ut sunt mobiles aliis istis motibus: ergo substantia ut composita non est subiectum adæquatum Physicæ.

CONCLUSIO V.

13. *Neque ens naturale, neque ens mobile ut sic, quatenus comprehendit sub se tanquam species substantias, ac accidentia naturalia, est obiectum adæquatum totius Physicæ; neque etiam ut comprehendit sub se tanquam species substantiam completam, & materiam ac formam, est obiectum adæquatum ipsius*. Hæc est contra secundam, & tertiam sententiam, & communis apud alios auctores.

Probat autem primo, quoad primam partem, quia nulla pars Physicæ ex omnibus, quas de facto tradidit Philosophus, agit de tali ente: ergo saltē Physica prout tradita à Philosopho, non habet pro obiecto adæquato tale ens.

Probat autem secundo, quia non potest dari conceptus communis vniuoce omnibus substantiis, & accidentibus naturalibus, ergo ens ut sic commune illis nequit esse obiectum adæquatum Physicæ, quia illud quod est obiectum adæquatum scientiæ totalis, debet esse quid vniuoce omnibus illis, quæ tanquam species continet. Probat autem antecedens, quia substantia dicitur naturalis, quatenus habet principium motus, aut quatenus est substantia corporea aut materialis: at accidentia dicuntur naturalia, quatenus spectant ad talem substantiam; unde manifestum est quod non possit abstrahi ab illis conceptibus aliquis conceptus vniuoce entis naturalis.

Quod si dicatur posse ab accidentibus abstrahi, & substantiis conceptus entis mobilis, contra est, quia si hoc intelligatur de mobilitate subiectiua, per quam scilicet aliquid possit moueri ad aliquā formā, cuius sit subiectum, non conuenit omnibus accidentibus naturalibus seu physicis sic moueri; si vero intelligatur de terminatiua mobilitate, certū est quod potius ens mobile mobilitate subiectiua debeat assignari pro obiecto adæquato, quam ens mobile mobilitate terminatiua, neque potest assignari aliquis conceptus vniuoce entis mobilis ut sic abstractus ab ente mobili terminatiue, & ab ente mobili subiectiue;

11 2 ergo

Substantia composita ex partibus physice non est obiectum Physicæ.

Obiectum Physicæ non est ens nec mobile, nec naturale vsque.

Substantia generabilis non est obiectum Physicæ.

ergo non est dicendum quod ens mobile, ut sic commune substantiis mobilibus, & accidentibus mobilibus, sit obiectum adæquatum Physicæ.

Confirmatur, quia accidentia omnia, quæ considerantur in Physicâ, commodissime reduci possunt ad substantiâ corpoream, ergo non est necesse ut aliquid communius ipsis ac tali substantiâ assignetur pro obiecto adæquato Physicæ.

*Probat*ur secunda pars, tum quia materia, & forma, cum sint partes essentielles compositi substantialis, ad tale compositum reduci debent: tum quia non datur aliquis conceptus abstractus uniuoce communis substantiis completis, & substantiis incompletis: ergo nihil communius materia, forma & substantia composita aut completa potest assignari pro obiecto adæquato Physicæ tam conuenienter, quam substantia completa.

14. *Obiicies*, Ens naturale aut mobile, prout commune ad substantiam completam, substantiam incompletam, ac accidentia, est considerationis alicuius scientiæ: non alterius quam Physicæ; ergo est obiectum Physicæ; non aliud quam adæquatum, ergo, &c.

Respondet negando maiorem, quia cum sit analogum, non debet assignari pro obiecto vllius scientiæ: quod si etiam deberet assignari pro obiecto alicuius scientiæ, non deberet assignari pro obiecto adæquato, quoties aliquid uniuocum assignari potest pro obiecto, ad quod cetera omnia reducuntur.

Obiicies secundo: Accidentia aliqua sunt mobilia etiam subiectiue, quantitas enim potest moueri localiter, & ad calorem, frigus, albedinē, &c. & quidem quod per se moueri possit independenter à substantiâ, patet tū in quantitate Eucharistica, quæ de facto naturaliter mouetur, & localiter, & ad frigus ac calorem; tum etiā quia videtur quod potius substantia moueatur ratione quantitatis motu locali, quā quantitas ratione substantiæ, nā si separaretur quantitas à substantiâ, & hæc cōseruaretur, non posset moueri naturaliter, saltem ab agentibus corporeis; si autē cōseruaretur quantitas absq; substantiâ, posset sic moueri: ergo aliquid communius substantiâ, & accidentibus mobilibus debet assignari pro obiecto adæquato Physicæ.

Respondet negando consequentiā: quāuis enim quantitas ex eo, quod sit quid mobile mobilitate etiā physica, sit per se cōsiderationis physicæ, sicut terminus, & nomen, & verbum sunt per se cōsiderationis logicæ, tamen non sequitur quod aliquid continens ipsam, tanquā speciē, sit obiectū adæquatum Physicæ: bene enim aliquid potest per se spectare ad scientiam, quod nō sit species obiecti adæquati ipsius, modo sit aliquo alio modo reducibile ad obiectum adæquatum, quam per modum speciei; id quod in omnibus scientiis totalibus videri potest. Hæc responsio clarior ac faciliior apparet, quam illa quæ assignatur ab aliis, qui negant quantitatem per se moueri; cuius responsionis difficultas ex obiectione præmissa apparet.

CONCLUSIO VI.

Substantia corporea completa est obiectum adæquatum Physicæ.

15. *Obiectum adæquatum Physicæ est substantia corporea completa*. Hæc videtur esse, & Scotistarum, & ceterorum authorum, qui dicunt corpus naturale aut corpus mobile fundamentaliter esse obiectum Physicæ. *Probat*ur autem, quia ex suppositione quod nullum ex illis obiectis, quæ præcedentibus conclusionibus impugnauimus, sit obiectum adæquatum Physicæ, nullum aliud obiectū potest conuenientius assignari, quam huiusmodi corpus, quod sane credo neminem negaturum.

Confirmatur, quia cetera omnia obiecta, quæ considerantur à Physicâ, commodissime reduci possunt, vel tanquā species, vel tanquā partes essentielles, aut integrantes, vel tanquā proprietates & accidentia, vel tanquā principia, aut causæ ad huiusmodi corpus; & ipsum secundum se est quid vnum per se completum: ergo conuenientissime assignatur, tanquā obiectum adæquatum scientiæ physicæ.

Quid intelligitur per substantiam corpoream completam.

Intelligo autē per substantiam corpoream completam, substantiam completam habentē partes extra partes cōnaturaliter loquēdo, qualis substantia vocatur ab aliquibus corpus metaphysicum, non quod sit considerationis metaphysicæ, sed ad distinctionē corporis mathematici, quæ est quantitas triuæ dimensionis, hoc est longa, lata, profunda, & corporis physici, quæ est altera pars viuē-

tis, ipsum cum anima essentialiter constituens: quod corpus est quid incompletum, & per se quidē considerationis physicæ non minus, quam materia & forma, sed non per modum obiecti adæquati, nec per modum speciei directē sub obiecto adæquato cōtēta. Malui etiam corpus sub hac consideratione assignare pro obiecto adæquato, quā sub consideratione substantiæ compositæ ex materia & forma, propter dictā conclusionē quartā.

16. *Obiicies ex Complutensibus*, qui licet fateantur in re corpus mobile, radicaliter sumpta mobilitate, esse obiectum adæquatum Physicæ, & licet in re secundum ipsos corpus mobile seu naturale, & ens mobile, seu naturale coincident, tamen putant conuenientius assignari pro obiecto ens mobile, quā corpus mobile, aut naturale, & quā ens naturale. Certū est, illud, quod habet in se principium motus, esse obiectū Physicæ, quia per hoc distinguitur Physicā à ceteris scientiis, quod agat de re habente principium motus: sed non est tam certū, quod omne mobile sit corpus, id enim probatur in Physicâ; est autē certū, quod omne quod mouetur sit ens; deinde nō est tā certū quod natura sit principium motus, sed est certum quod quicquid est principium motus sit ens: ergo melius assignatur pro obiecto adæquato Physicæ ens mobile, quā ens naturale, aut corpus mobile, aut naturale.

Confirmatur hoc obiectione communi apud Thomistas: Nulla scientia debet probare suum subiectum: sed in Physicâ probatur dari corpus naturale: ergo non debet assignari pro obiecto eius.

Respondet distinguendo maiorem: illud quod habet in se principium motus cuiuscumque, nego maiorem, quia alias Angeli essent cōsiderationis Physicæ, quod negant aduersarij, motus naturalis, de quo agitur in Physicâ, cōcedo maiorem, & distinguo etiam minorem: non est certum quod omne mobile, id est omne illud, quod est vltimum subiectum motus cuiuscumque, sit corpus, concedo, quia oppositum potius est certum, constat enim Angelos esse vltimum subiectū alicuius motus; non est certū quod omne mobile, quod est vltimum subiectū omnis motus naturalis, sit corpus aut substantia corporea; nego minorem. Cū enim motus physicus seu naturalis sit motus competens corpori, & per hoc præcisē distingui possit à motibus spiritualibus competentibus spiritibus, impossibile est intelligere, quod aliqua substantia, aut aliquod ens sit vltimum subiectum motus physici, qui intelligatur eo ipso esse corpus à quocūque intelligente significationem huius nominis *corpus*. Similiter etiam intelligendo per naturam, vltimum principium motus corporei, & per naturale, illud quod habet tale principium, prout cōmuniter intelligitur, euidenter est non posse quē intelligere aliquid esse vltimū subiectum motus physici, quin intelligat illud esse naturale, & includere naturam.

Ad probationē autem minoris dico, quod si spectet ad vllam scientiam probare existentiam alicuius rei, non est inconueniens, quod Physicâ probeat existentiam corporis, sicut ad illam spectat probare existentiam materiæ primæ & formæ substantialis materialis, imō id est necessariū, quia id nō spectat ad Metaphysicā, quæ nō agit de rebus materialibus, neque ad Mathematicam, aut Logicam, aut aliam scientiam. Quando autem dicitur quod scientia debet præsupponere suum subiectum, hoc non debet intelligi quoad existentiam, quia certum est quod possit dari scientia de re, quamuis non existeret, sed intelligi debet in hoc sensu, quod scientia, per quam à priori cognoscitur aliqua passio, aut proprietas de re, debet habere pro præmissa supposita propositionem, qua natura & essentia rei prædicatur de ipso, id quod certum est, quia sine tali propositione supposita non posset haberi talis scientia.

Dixi autē, si spectet ad aliquam scientiam probare existentiam alicuius rei, quia scientiæ abstinere dicuntur ab existentis rerum, & consequenter videri posset, quod non deberet vlla scientia probare existentiam alicuius rei. Et per hoc patet ad cōfirmationem, cuius vel maior est neganda, si spectet ad vllam scientiam probare existentiam rei, vel minor, si non spectet; an autē spectet, vel nō spectet, est questio de nomine, & dependens ab acceptione scientiæ.

Quomodo scientia debet præsupponere suum subiectum.

sciētiz, quæ multipliciter accipitur, & in vno sensu ad eā potest spectare probare existentia rei, in alio non potest.

CONCLUSIO VII.

18. Ratio formalis, sub qua Physica considerat corpus, non est mobilitas etiam radicalis præcise, nec etiam naturalitas, accepta naturalitate pro principio motus, quasi scilicet non consideraret corpus aliquid, nisi ut est principium motus, aut mobilitatis formalis. Hæc videri potest esse contra communem sententiam, tam Scotistarum, qui dicunt corpus naturale, ut naturale, esse obiectum Physicæ, nam per hoc denotatur, quod naturalitas sit ratio formalis, secundum quam consideratur corpus in Physicâ; quam Thomistarum, qui dicunt, quod ens mobile, ut mobile, sit obiectum eius; quod meliores Thomistæ, & nominatim Complutenses ac Joannes à S. Thoma hic intelligunt de mobilitate radicali. Eam autem tenet Auerſa hic quæst. 2. sect. 4. & Maſtrius etiam in re eam tenere videtur, quia expresse dicit quod naturalitas, prout est ratio formalis obiecti Physicæ, non tantum est principium motus, sed aliarum etiam passionum res naturales consequentium, & facile inferius explicabitur in hoc sensu sententia Scotistarum. Probatur autem, quia certum est Physicam agere de corpore substantiali, & quatenus est quid compositum ex partibus integrantes, & quatenus est quid compositum ex partibus physicis; sub hoc autem conceptu præcise non consideratur ut mobile. Deinde certum est, quod agat de calore ut est calefactivus, & de albedine ut est disgregativa visus, & de quantitate ut est expulsiva aliarum rerum ab eodem loco, quæ tamen sub his considerationibus non sunt mobilia, nec formaliter nec radicaliter etiam sic, ut habeatur conceptus de radice mobilitatis, quatenus est radix mobilitatis.

19. Verum quidem est, quod omne id, quod consideratur in Physicâ, sit mobile physicè, vel spectans aliquo modo ad id, quod est mobile; & quod Physicâ possit distinguere à cæteris scientiis per hoc, quod agat de rebus sic mobilibus, & habentibus principium radicale motus, & pertinentibus ad talia, & fortassis nihil aliud volunt Scotistæ ac Thomistæ, sed non negatur in conclusione, sed tantum in ea asseritur, quod non consideret Physicâ illas res præcise sub illa ratione. Ad quod etiam adiungi potest, quod possit Physicâ ab aliis scientiis discerni per ordinem ad obiectum adæquatum sub alia ratione consideratum, etiam quamvis per impossibile illud obiectum non esset mobile aut naturale, prout naturale concipitur per modum principij radicalis motus, quia eo ipso quo consideraret substantiam corpoream ut corpoream, & pertinentia ad ipsam, ut sic distinguere ab aliis scientiis, quæ de tali substantia non agunt.

CONCLUSIO VIII.

20. Ratio formalis, sub qua Physica considerat corpus, seu substantiam corpoream, est differentia illa per quam constituitur in esse corporis, & distinguitur à spiritibus ac cæteris, quæ non sunt corpora: Hæc sequitur ex dictis, quia ex suppositione præmissæ conclusionis nulla alia ratio formalis convenientius assignari potest, tum quia hæc est prima formalitas, per quam abstrahitur substantia corporea à consideratione Metaphysicâ, ac aliarum scientiarum: tum quia nulla alia agit de corpore sub hac formalitate, & etiam quia omnia, quæ considerantur in Physicâ, reducuntur ad corpus ut corpus, tum denique quia non possumus habere cõceptum de corpore, ut est mobile physicè, quin consideremus ipsum, ut est corpus, & possumus considerare ipsum ut corpus, quin consideremus ipsum ut habens principium motus; ergo quandoquidem considerando ipsum ut corpus possumus distinguere Physicam per ordinem ad ipsum ut sic consideratum ab aliis scientiis, potius ratio, quæ ut sic constituitur, debet assignari obiectum formale Physicæ, quam ratio mobilitatis radicalis aut naturalitatis, ut hæc capitur pro principio motus, aut vlla denique alia ratio.

Obijciunt Scotum, qui 6. Metaph. q. 1. asserit corpus naturale ut naturale, id est ut habens principium motus, & quietis, esse obiectum Physicæ, & idem corpus, non tamen ut naturale, sed secundum aliam considerationem,

nimirum ut est capax quantitatis, esse obiectum Mathematicæ, ergo cõtra ipsum est hæc, ac etiã præcedens conclusio.

21. Respondeo explicando Scoti mentem, quæ non erat quod corpus naturale, id est ut habet principium motus, præcise esset obiectum adæquatum Physicæ, quasi non consideraretur alio modo, & quasi nihil consideraretur in Physicâ, nisi per modum mobilis, aut pertinentis ad mobile quæ mobile; sed voluit tantum quod corpus naturale, id est corpus secundum naturam intrinsecam suam esset obiectum adæquatum, quod est quod asseritur in hac conclusione: nam natura intrinseca corporis, quæ corpus est, differentia constitutiva corporis, unde corpus naturale in hac significatione coincidit cum corpore quæ corpus est. Nec refert, quod dicat corpus, etiam quæ corpus, esse obiectum Mathematicæ: nam præterquã quod hoc ipsum difficile sit, cum communiter assignetur pro obiecto Mathematicæ quantitas, & cum reuera Mathematica non curet vlla ratione de corpore substantiali quæ tale, quia etiam si non daretur tale corpus, adhuc daretur corpus integrum Mathematicum, modo daretur quantitas; nec etiam credo quod agat de quantitate secundum propriam suam rationem, quia quamvis non daretur quantitas talis, modo daretur substantia extensa eum coloribus extensis, adhuc daretur Mathematica, unde credo Mathematicam considerare corpus, quatenus corpus accipitur pro re extensa sensibili trina dimensionis, siue illa res sit quantitas, siue sit color, siue sit substantia. Sed quidquid sit de hoc, quando Scotus vult quod corpus substantiale sit etiam subiectum Mathematicæ, non vult tamen, quod ut corpus substantiale sit subiectum eius, sed ut aliquid habens trinam dimensionem præcise. Itaque potest considerari corpus substantiale, ut est aliquid trina dimensionis, & ut sic, non distinguitur à quantitate trina dimensionis, & potest considerari ut est aliquid substantiale completum habens partes extra partes, & in hoc secundo sensu est subiectum Physicæ, & optime significatur per corpus substantiale, ut corpus substantiale, & potest etiam significari per corpus naturale. In primo vero sensu est subiectum Mathematicæ, & potest vocari propterea corpus Mathematicum, & corpus trina dimensionis, & corpus etiam capax quantitatis, quia quidquid est trina dimensionis, est capax quantitatis, quia vel potest subiectare quantitatem, vel subiectari in quantitate, aut in re quantitate, vel esse idem realiter cum quantitate.

Quod totum dictum est ad explicationem Scoti in loco prædicto, quamvis non profitear defendere, quidquid ab eo asseritur in aliis operibus præter libros Sententiarum, & Quodlibeta, sicut nec Thomistæ defendunt omnia, quæ dicit D. Thomas in sententiis, aut aliis operibus præter Summam.

Obijciunt secundo, Corpus substantiale est obiectum materiale adæquatum Philosophiæ: ergo aliqua alia ratio debet superaddi ipsi, quæ sit ratio formalis.

Respondeo primo, negando consequentiam, quia quando ratio quæ consideratur ab una scientia non consideratur ab alia scientia, eadem ratio potest assignari pro obiecto formali, & materiali; pro materiali quidem, quatenus est illa quæ consideratur, pro formali autem quatenus secundum illam solam rationem consideratur ut obiectum adæquatum: quod patet in Metaphysicâ, cuius obiectum adæquatum materiale, & formale est ens, ut ens.

Respondeo secundo, si velimus distinguere formaliter in obiecto Physicæ rationem formalem, & materiale, distinguendo antecedens: corpus substantiale seu substantia corporea, ut corporea, est obiectum materiale, nego antecedens; illa res quæ est substantia corporea sub consideratione aut entis aut substantiæ præcise est obiectum materiale, & corporeitas, quæ est differentia cõtrahens rem illã ad esse substantiæ corporeæ est ratio formalis, secundum quã consideratur, cõcedo antecedens; unde distingo etiã consequens: debet superaddi aliquid substantiæ corporeæ consideratæ ut corporeæ, nego consequentiã; debet superaddi aliquid isti rei, quæ est substantia corporea, consideratæ aut sub ratione entis, aut sub ratione substantiæ ut sic, concedo consequentiã, superadditur enim corporeitas.

Quid sit corpus quod est obiectum Mathematicæ.

Quæ sit ratio sub qua obiectum physicæ.

Obijcies tertio, Corpus substantiale ut sic, est obiectum adequatum horum octo librorum Physicæ auscultationis, quos iam explicamus: ergo non est obiectum adequatum totius Philosophiæ naturalis.

Respondeo distinguendo antecedens: secundum se præcise, & ut non comprehendit species suas, concedo, secundum quod comprehendit species, nego; & distinguo etiam consequens: secundum se, & ut non comprehendit species suas, concedo; ut comprehendit species, nego.

Et hæc sufficiant ad explicationem quæstionis huius, magis intricatæ quam utilis: quantum autem ad rem ipsam sufficeret scire, quod Physica habeat pro obiecto res corporeas omnes secundum naturam suam, intrinseca principia, causas, & proprietates ita, ut non agat de aliqua alia re, & agat de omni tali, & quod in his octo libris ex omnibus rebus corporeis agatur de corpore naturali seu substantia corporea ut sic, secundum omnes affectiones, proprietates, principia, causas, reliquasque affectiones eius.

ADDITIO.

DOctrinam meam in hac quæstione conclusionem primam conatur impugnare Mästius disp. 1. Metaphysicæ n. 17. §. quoad conceptum substantiæ, & imprimis contra explicationem, quam n. 6. adhibeo authoritati Scoti in favorem suæ sententiæ à Mästrio adductæ, instat, quod quicumque est in Aristotelis idiomate leuiter versatus, scit apud Aristotelem per primam scientiam, & Philosophiam intelligi Metaphysicam, & per secundam Physicam: cum ergo, inquit, Doctor utatur phrasi Aristotelica per primam Philosophiam intelligit Metaphysicam, per secundam Physicam. Deinde addit gratis me negare mobilitatem, ut sic, esse passionem adequatam obiecti adequati Physicæ; nam per eam Philosophus præcise fecerit Physicam à Metaphysica, qui propterea docuit Angelos ad Metaphysicam spectare, quia putauit eos immobiles, Quare concludit falsum esse vllum motum ad Metaphysicam spectare, & portentum esse in Philosophia oppositum asserere; neque ipse vnquam docuit agi in Metaphysica de motu Angelorum; & quamuis neget de eo agi in Physica, quæ habetur à nobis; non tamen ob id asserit de ipso agi in Metaphysica, quia secundum Aristotelem, & quantum potest colligi ex sensibilibus, sunt immobiles; nec vnquam dixit Aristoteles Physicam à Metaphysica distingui per mobilitatem corpoream & materialem, sed per motum absolute loquendo. Confirmat hoc quia motus spirituales animæ, & etiam intellectiones ac volitiones ad Physicam spectant. Quia vero ad hoc respondi illos motus esse materiales quatenus sunt motus corporis seu rei materialis, quamuis intrinsece sint spirituales, quia ut exercentur in corpore dependent à Phantasmatibus, & ab iis operari denominatur substantia corporea; dicitur enim de homine, quod intelligat & velit per illas operationes.

Contra hoc replicat Mästius me, eam adhibendo mihi non constare, cum sæpius dicam mobilitatem corpoream, esse eam quæ substantiæ corporeæ competit, & in ea rationem in subiecto recipitur: quod & ratio ipsa suadet, inquit, non enim dicitur motus corporeus & spiritualis, quia sit ab Agente corporeo & spiritali, sed quia recipitur in subiecto extenso vel inextenso.

Hinc soluit meas rationes & ad primam propositam n. 4. Respondet Angelos non abstrahere à materia, à qua non abstrahit obiectum Physicæ, quia illa materia non est materia partis; sed materia, quæ secundum locum est mobilis, ab hac autem non abstrahit Angelus cum sit mobilis. Ad secundam propositam num. 5. §. Confirmatur secundo. Respondet negando minorem, nempe quod nihil impediatur quo minus illa scientia, quæ de facto vocatur Physica, dicatur esse scientia tractans de solis corporeis; quia agit de ente mobili quocumque, non sola autem corporea sunt mobilia. Addit denique pro coronide censuram Canonici, ad quam quia Respondi in mea Apologia nihil hic dicam. Ad reliqua vero breuiter respondendum.

Dico ergo imprimis, quauis per secundam Philosophiam intelligatur Physica in idiomate Philosophi; & in hoc Sco-

tus esset versatissimus, non sequi inde, quod secunda scientia de qua eo loci egit Scotus, sit Physica: nam Philosophus, egit de secunda scientia ex iis, quas nos de facto acquirimus, quæ est Physica, Scotus vero locutus est de secunda scientia, non quæ habetur, sed quæ possit haberi, unde manifestum est quod quamuis secunda scientia, de qua egit Philosophus sit Physica, non inde sequatur quod secunda scientia, de qua Scotus in illo loco mentionem facit, debeat dici Physica. Immo certum videri debet, quod iuxta doctrinam quam ibi proponit Scotus, scientia quæ de facto est secunda, & quæ vocatur merito Physica, esset tertia & non secunda respectu ad scientias illas, de quibus egit Scotus: prima enim esset scientia de ente ut sic, & ceteris immaterialibus eo modo, quo à nobis de facto cognoscuntur, secunda vero esset scientia illa possibilis, de qua Scotus, quia cognosceretur immaterialia distincte secundum propriam rationem; tertia denique esset scientia, quæ est de materialibus, quæque vocatur Physica, & est iam secunda.

Rursus quod illa scientia de immaterialibus, de qua Scotus, non esset Physica, sed alia scientia alio aliquo gaudens nomine, patet non solum ex communi acceptione vocis Physicæ, per quam Authores communiter intelligunt scientiam, quæ tractat solum de rebus materialibus & corporeis, quales non essent substantiæ separata, de quibus illa scientia ageret & quidem solis; sed etiam ex ipsomet eodem loco Scoti, qui sine dubio ibi agit de obiecto adequato, quod dicit esse substantiam immaterialem, sed manifestum est, quod talis substantia non possit esse obiectum adequatum Physicæ, cum hæc agat etiam secundum ipsum Mästrium de rebus corporeis: ergo secundum Scotum illa secunda scientia, de qua agit, non esset Physica.

Uterius: Certum est me non negauisse gratis mobilitatem ut sic esse passionem adequatam obiecti Physicæ; nam adduxi rationes satis apparcentes, & quas iam ostendo non soluisse bene Mästrium. Et quamuis Philosophus discriminet Metaphysicam à Physica per ordinem ad motum, hoc tamen intelligendum est de motu sensibili & corporeo, seu de motu competenti rei materiali & corporeæ, cuius oppositum deberet hic probare Mästius, si vellet facere aliquid ad propositum. Fateor neminem ad impossibile teneri; nec tentandum esset, quod fieri non posset.

Deinde consequenter sane negat hic se docere mobilitatem Angelorum spectare de facto ad Metaphysicam, & ego fateri debeo me non adeo bene id supposuisse: sed huic defectui veniam spero elabit Mästius, quia occasionem ei dederat opinio, quam de ipsius doctrina conceperam; existimabam enim non posse tam crassam in ipsū cadere ignorantiam, ut id negaret, præsertim cum fateatur illam mobilitatem non spectare ad Physicam, nam certè cum habeatur de facto cognitio naturalis de mobilitate Angelorum & illa non spectet ad Mathematicam, aut Physicam, debet sine dubio spectare ad Metaphysicam. Nec sat intelligo, quid velit hic bonus author, dum ait quantum ex sensibilibus cognoscere possumus, Angelos esse immobiles; nam certum est, quod ex sensibilibus non habemus argumenta vlla, quibus probemus Angelorum immobilitatem; & non minus certum est, quod naturaliter possumus potius colligere, quod sint mobiles quam immobiles, quandoquidem ex limitatione & finitate ipsorum possumus cognoscere, quod non sint immensi & quod aliunde constet non magis eos petere esse in vna parte determinata vniuersi, quam in quacumque alia, & quod proinde non solum Deus possit eos ab vno ad aliud locum mouere, sed longè verisimilius sit illam facultatem ipsimet cōpetere. Hæc ergo oognitio naturalis, quæ est de mobilitate Angelorum ad aliquam scientiam ex iis, quas de facto haberemus pertinet; si ad Physicam, malè negat id Mästius: si non ad Physicam, ergo ad Metaphysicam (neque enim vllus dixerit quod spectet ad Mathematicam) & consequenter id malè negatur à Mästrio, qui etiam propterea fateri debet non quemcumque motum aut mobilitatem esse propriam ad adequatam Physicæ; nec me gratis, sed cum summo fundamento id negasse.

Ad confirmationē, de motibus spiritualibus animæ qui spectant ad Physicam, perfito in mea responsione, eos propterea spectare ad hanc scientiam, quia licet intrinsecè sint spirituales, sicut & subiectum immediatum earum, nempe anima, tamen sunt materiales inquantum ad hoc, quod denominant substantiam materialem & spectant propterea ad illam: nam Physica, quæ considerat substantiam materialem, debet agere etiam de omnibus affectionibus, proprietatibus & accidentibus ipsius; operationes autem omnes, quibus denominatur operari sunt sine dubio affectiones eius & accidentia etiam ipsius, vel immediatè, vel mediatè inexistentes ipsi, quod manifestum est: nec habet apparentiam, quod hoc modo respondendo non coheream mihi, nam quando dixi mobilitatem corpoream spectantem ad Physicam esse eam, quæ competit corpori & in ea recipitur velut in subiecto, nō video, quomodo præiudicet huic responsioni: nam mobilitas & motus illi animi spirituales competunt etiam corpori & in eo subiectantur etiam, non quidem immediatè, sed mediante anima; neque ego dixi, quod omnis mobilitas corporea spectans ad Physicam debeat esse in corpore tanquā in subiecto immediato. Et quāvis motus habeat esse intrinsecè spiritualis, aut materialis à subiecto inhætionis spirituali vel materiali, non tamen à solo subiecto inhætionis habet esse sic materialis ut debeat spectare ad Physicā; sed etiam à subiecto denominationis: nam nihil aliud est esse sic materiale, quam esse aliquid spectans ad substantiam materialem aliquo modo, tanquā affectio, aut operatio, aut accidens ipsius spectat ad ipsum tanquam ad subiectum inhætionis sue denominationis. In quo nulla prorsus est difficultas.

Ex quo patet nō valere solutiones Mastrij ad mea fundamenta. Non quidē prima ad primū quia quando Metaphysica dicitur abstrahere à materia; hoc nō debet illo modo intelligi de materia quæ est subiectum motus tū propter hæcenus dicta, tum quia ex communi omnium sensu ex eo, quod Physica nō abstrahit à materia & metaphysica abstrahat, intelligitur quod Physica agar de rebus materialibus tātum & Metaphysica non agar: sed quamuis omnes concedant Angelos esse mobiles, nemo tamen vocavit illos substantias materiales: ergo non includunt materiam illam per ordinem ad quam secernitur Metaphysica à Physica, quia illa materia est à qua dicitur substantia materialis. Dicere autem quod Angeli consistunt materia, aut dicant materiam, quia sunt subiectum motus seu mobiles, est omnino abuti vocibus.

Non etiam ad secundum, quia ex dictis patet, supposito quod possit institui scientia de solis materialibus, quæ nō ageret de Angelis illo modo, nullam esse rationem cur talis non dicatur Physica, cum illa re vera agar de materialibus ut omnes fatentur, & non agar de Angelis: nec valet dicere cum Mastrio, quod propterea non agit de Angelis quia Aristoteles putavit illos omnino immobiles: nam imprimis male cōsultitur honori Aristotelis attribuendo ipsi absq; causa talem errorem, cuius nec probabilem rationem aliquam habere potuit; vnde satius esset dicere, quod si dicat eos alicubi immobiles, id intelligendum de immobilitate opposita mobilitati Physicæ, quomodo sine dubio sunt immobiles; neque enim sunt mobiles tali mobilitate cum sint substantiæ spirituales.

Deinde quamuis essent immobiles immobilitate locali in sententia ipsius; tamen non habet apparentiam, quod voluerit ipsos esse immobiles, quoad intellectiones & volitiones; vnde si sufficeret quæcumque mobilitas ad comprehendendos illos sub consideratione physica, non deberet Philosophus ab illa eos excludere.

Denique quamuis secundum Philosophum essent penitus immobiles & propterea à Physica arceudi; tamen secundum omnes iam Philosophos sunt mobiles localiter & intentionaliter, & tamen nemo dicit, quod spectat ad considerationem Physicam, nec quidem ipse Mastrius: ergo signum est, quod non quæcūque mobilitas sufficiat ut aliquid consideretur à Physica; & consequenter apparet Physicam esse scientiam quæ de solis materialibus agit, quod gratis negat Mastrius in hac sua responsione.

Nec iuvat quod addit, si per materialitatem & immaterialitatem distinguendæ essent hæc duæ scientiæ, Metaphysica & Physica, eas non distinguendas per rationem motus: nam sequela neganda est, quamvis enim à priori distinguendæ sint per materialitatem & immaterialitatem, à posteriori tamen distinguere poterunt & debent per motum, non tamen quemcumque sed sensibilem, quatenus Physica dicenda est de illa, quæ agit de re quacumque, quæ sic moveri possit; Metaphysica vero quæ agit de substantiis quæ sic moveri nequeunt, & propterea vna dicenda sit diuersæ rationis ab altera.

QVÆSTIO II.

Utrum Physica sit scientia speculatiua vna.

24. **T**Res difficultates hic breuiter examinabimus, quoniam earum resolutio suppositis iis, quæ dicta sūt in Logica, est satis facilis, prima est an Physica sit scientia, secunda an sit speculatiua, tertia an sit vna.

Pro resolutione autem primæ partis, aduertendum est Philosophiam naturalem seu Physicam posse capi duobus modis; primo pro omni cognitione, quæ habetur de rebus naturalibus, & quæ traduntur in libris illis aut scriptis, quæ, quia tractat de rebus naturalibus, communiter vocari solēt Philosophia naturalis aut physica. Secundo potest capi pro solis cognitionibus scientificis siue à priori siue à posteriori, quæ habentur de rebus naturalibus, & in hoc secundo sensu non potest esse controuersia, an Philosophia naturalis sit scientia, quia si capiatur Philosophia naturalis pro scientia rerum naturalium, tam certum est Philosophiam esse scientiam, quàm certū est scientiam esse scientiam. Vnde difficultas non debet examinari in hoc sensu, sed vel in primo sensu, vel in hoc alio, an de rebus naturalibus detur scientia.

CONCLUSIO I.

25. *Datur scientia de rebus naturalibus, & consequenter datur Physica accepta pro aggregato ex omnibus cognitionibus, quæ habentur de rebus naturalibus, quantum ad aliquam partem cuiuslibet sui est scientia.* Hæc in re ipsa est communis, & secunda pars euidenter sequitur ex prima, quæ sola propterea indiget probatione.

Probatur illa ergo prima pars, quia ex eo, quod corpus naturale sit illud, quod habet in se principium motus, sequitur scientificè, quod sit mobile; & ex eo, quod substantia materialis composita includat materiam dicentem aptitudinem ad omnes formas, sequitur scientificè, quod illa substantia sit corruptibilis, & quod alia substantia nimirum illa, quæ esset composita ex eadem materia & alia forma, ad quam diceret inclinationem, sit generabilis; & ex eo quod nullum compositum sit à se necessariū, sequitur scientificè, quod habeat dependentiam ab alio, à quo fiat, & aliæ multæ similes cognitiones scientificæ habentur de facto, & plures haberi possunt de rebus naturalibus, ergo datur scientia de illis.

26. *Obijciat*, Res naturales omnes sunt mutabiles, & aliquæ ex illis sunt generabiles, & corruptibiles, sed scientia non potest haberi de talibus rebus, quia est de subiecto inuariabili, ergo de rebus naturalibus non habetur scientia.

Respondeo distinguendo maiorem, sunt mutabiles, generabiles, aut corruptibiles quantum ad ea prædicata, quæ de ipsis scientificè cognoscuntur, sic ut possint esse quin habeant illa prædicata, nego; quantum ad suā existentiam & alia prædicata, quæ scientificè non cognoscuntur de ipsis, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem: non potest haberi de ipsis quantum ad illa prædicata, quæ necessariū conueniunt ipsis, nego; quantum ad alia, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque mobilitas, corruptibilitas, generabilitas, & prædicata alia multa necessariū conueniunt rebus naturalibus, ita ut non possint esse sine ipsis, etiam de potentia absoluta; vnde potest dari cognitio scientifica de illis, qua cognoscatur de illis talia prædicata; alia verò prædicata conueniunt rebus naturalibus, quæ non necessario conueniunt illis, ut esse

esse in hoc loco, in hoc tempore, sub hac quantitate, aut qualitate, aut relatione, & hæc non possunt de ipsis scientificè cognosci.

CONCLUSIO II.

27. Si capiatur Physica pro omnibus cognitionibus, quæ habentur in libris & scriptis, quæ intuluntur Physicæ, tota Physica, quoad omnem partem sui non est scientia, sed quoad partem tantum est scientia, quoad partem intellectus, quoad partem opinionis, quoad partem fides. Hæc etiam in re est communis. Probat, quia sicut dantur de rebus naturalibus aliquæ cognitiones scientificæ, ita dantur etiam cognitiones principiorum, ex quibus deducuntur istæ cognitiones scientificæ, quæ cognitiones, cum non sint discursivæ, quandoquidem habeantur ex euidencia ipsorum principiorum, apprehensis terminis, non possunt esse scientificæ, quia omnis cognitio scientifica est discursiva, loquendo de scientia in rigore, prout de ea loquimur. Deinde dantur multæ cognitiones probabiles de rebus physicis, ut patet ex tanta opinionum diversitate, quæ etiam post tot annorum diligentissimum examen per viros summi ingenij, & industria factum perseverat; & dantur etiam plurimæ cognitiones fidei humanæ de illis, quæ scilicet innituntur authoritati Philosophi ac aliorum, ergo Physica hoc modo accepta partim tantum est scientia, partim intellectus seu cognitio principiorum, partim fides, partim opinio; imo cum plures tractentur cognitiones probabile in tractatibus ac disputationibus physicis de facto, quam cognitiones scientificæ, videtur Physica accepta pro huiusmodi tractatibus, ac libris simpliciter potius vocanda cognitio opinativa quam scientia. Quod etiam eodem modo de Logica ac cæteris totalibus disciplinis sentiendum puto.

CONCLUSIO III.

28. Physica quoad omnem sui partem, nisi quis ad eam velit reducere tanquam partem Medicinam, Alchimiam, ac similes facultates, est speculativa. Hæc est communissima, ut propterea non sit necesse citare auctores vltos.

Probat, quia non considerat obiectum vllum modo operabili dando scilicet præcepta & regulas in ordine ad illud faciendum, ergo quoad nullam partem est practica, & consequenter quoad omnem partem est speculativa, quia, ut modo suppono ex dictis in Logica, non datur medium inter facultatem practicam & speculativam; quod qui negaret, non nisi quæstionem de nomine excitaret.

Confirmatur, quia nullus est qui non existimet Logicam potius, aut saltem æque, esse practicam, siue simpliciter, siue quoad aliquam saltem partem, ac Physicam: sed Logica, ut suppono ex dictis in Logica, non est practica nec simpliciter, nec quoad vllam partem, ergo nec Physica est aut simpliciter, aut quoad vllam partem practica.

Confirmatur secundo, quia omnis scientia practica est excogitata, & collecta simul ad remediandos errores, ac defectus, qui in aliquibus rebus faciendis committi solebant, vel in ordine ad hoc, ut aliquid de nouo fieret aut produceretur beneficio artis, quod alias fieri non solebat, aut non fiebat tam commodè: sed certum est Physicam non fuisse excogitam ac collectam ob hoc, imo quamvis possemus absque Physica cognoscere, quomodo omnia naturalia commodissime fieri possent, adhuc cognitionis gratia excogitanda esset & colligenda Physica, ergo non est dicenda practica.

29. Dixi autem in conclusione, nisi quis velit ad Physicam, tanquam partes reducere Medicinam, Alchimiam & similes facultates, quia certum est, quod si quis acciperet Physicam pro aggregato ex omnibus cognitionibus, quæ esset de corporibus ac rebus naturalibus, quod Medicina, Alchimia, Agricultura, & similes facultates essent partes physicæ, & consequenter quod Physica, quoad aliquam partem esset practica; sed hoc esset mouere quæstionem de nomine contra communem Doctorum sententiam, qui existimant illas facultates non esse partes Physicæ, sed facultates omnino distinctas, subordinatas tamen & subalternatas ipsi, cuius etiam distinctionis

commoda ratio esset, quod per Physicam intelligi debeat ex communi auctorum usu scientia speculativa de naturalibus; unde non debet tanquam partem includere aliquam scientiam seu facultatem practicam, nec consequenter Medicinam, Alchimiam, Agriculturam, aut similia.

30. Obijciens primo, Physica inclinat nos ad amorem Dei, qui est praxis, ergo erit practica.

Respondet distinguendo antecedens, directè ostendendo nobis nos debere amare Deum, & quomodo amari possit, nego antecedens; indirectè quatenus ex consideratione rerum naturalium, ac dependentia earum à Deo, possit quis assurgere in laudem ipsius, ipsumque reuereri ac amare, concedo antecedens, & nego consequentiā, quia non sufficit huiusmodi indirecta inclinatio ad praxim ad hoc, ut scientia sit practica, alias nulla esset scientia totalis, quæ non esset practica, & præcipue Metaphysica esset practica, quæ magis agit de Deo, ac proprietatibus eius, & quæ propterea magis deseruit ad ipsum amandum ac honorandum, quam Physica.

Obijciens secundo: Ethica est practica, quia agit de operationibus intellectus & voluntatis, sed Physica in parte illa, quæ agit de homine, contemplatur illas operationes, ergo quoad illam partem erit practica.

Respondet distinguendo maiorem: quia agit de illis quomodocumque, nego; quia agit de illis modo practico ostendendo quomodo bene & male possint fieri moraliter, concedo maiorem, distinguo etiam minorem, agit de ipsis modo practico, nego; alio modo, concedo minorem, & nego consequentiā.

Obijciens tertio, Medicina & Alchimia sunt partes Physicæ, sed sunt practicæ, ergo Physica quoad partem est practica.

Hæc obiectio non currit contra conclusionem ut iacet, & patet solutio ex dictis, quia vel negandum est quod sint partes Philosophiæ naturalis, quamvis includant multas cognitiones physicas propter subalternationem earum ad Physicam iuxta illud, ubi definit Physicus, ibi incipit Medicus; vel concedendum quod Physica quoad illas partes, si dicantur partes eius, sit practica; nec in re esset inconueniens, quod vna scientia totalis includeret plures partes, quarum aliqua esset speculativa, aliqua practica.

CONCLUSIO IV.

31. Physica siue actualiter sumatur siue habitualiter, non est vna simplex qualitas, sed aggregatum quid ex pluribus qualitatibus. Hæc est omnium Scotistarum, ac magis communis apud recentiores, & patet ex dictis in præmissis Logicæ, quæ hic repetenda non sunt.

Probat, tamen breuiter, quia obiecta physica habent diuersam difficultatem in cognoscibilitate, ita ut quamvis aliquis acquireret facilitatem cognoscendi aliqua ex illis, possit habere difficultatem maximam in cognoscendis aliis, ergo nec eodem actu omnia cognoscuntur, quod omnes fatentur, nec eodem solo habitu facilitatur intellectus ad omnia cognoscenda. Antecedens patet experientia, & euidenter deducitur ex diuersis sententiis, quæ sunt de pluribus obiectis physicis apud auctores, qui conueniunt in sententia de aliquibus obiectis, quod sane oritur ex diuersa difficultate.

Confirmatur, quia facilitatur ad plures cognitiones physicas per scientiam, ad alias per opinionem, ad alias per fidem; ergo non eodè simplici habitu facilitatur ad omnes cognitiones actuales physicas, & consequenter Physica habitualis totalis non potest esse vna simplex qualitas. Nec refert quod omnia obiecta physica habeant eandem abstractionem à materia, quia cum hoc potest stare maxima diuersitas specifica tam in actibus quam in habitibus, qui versantur circa illa obiecta. Nec etiam refert quod specificetur Physica ab illa abstractione; neque enim hoc intelligendum est, quasi tota ratio specificandi ipsam sit illa abstractio; sed sic, quod per ordinem ad talē abstractionem possit cognosci quod sit distinctæ speciei ab omnibus aliis scientiis, quæ non habet ordinem ad talē abstractionem; ex hoc autem non infertur quod omnes cognitio

Physica
quoad
omnem
partem non
est scientia.

Physica
est speculativa.

Cur Me-
dicina non
sit pars
Physicæ.

Physica
non est vna
simplex
qualitas.

cognitiones, ac habitus physici sint eiusdem speciei inter se, sed quod conueniant in vna ratione particulari, in qua distinguuntur à cæteris scientiis omnibus. Videantur dicta in proœmio Logicæ & in disputatione de Scientia.

An Physi-
ca subal-
ternetur
Metaphy-
sicæ.

32. *Quæres*, an Physica subalternetur Metaphysicæ. Ad hanc quæstionem mere nominalē, & parui momenti respondendum breuiter eam subalternari Metaphysicæ, quantum ad hoc, quod corpus naturale, quod est obiectum eius adæquatum, sit species cõtenta sub ente, quod est obiectum adæquatum Metaphysicæ; & quantum ad hoc etiam, quod propositio Metaphysica possit assumi tanquam principium ad probandum aliquam conclusionem physicam; quo etiam modo nulla fere scientia est, quæ alteri non possit subalternari: quia in discursibus, qui fiunt à paritate rationis, aut à maiori ad minus, aut è contra, potest assumi ex quacunque scientia aliqua propositio tanquam præmissa ad probandum aliquam conclusionem cuiuscunque alterius scientiæ.

Sed non est ipsi subalternata sic, vt Metaphysicæ sit assignate ipsi obiectum (quidquid dicant alij) nec enim Metaphysica villo modo attingit obiectum Physicæ, cum vt suppono, sit extra obiectum eius adæquatum; quod si posset attingere obiectum Physicæ, sane illud obiectum esset considerationis metaphysicæ, & sic esset obiectum partiale Metaphysicæ, quod est absurdum ex suppositione communi quod Physica, & Metaphysica sint distinctæ scientiæ, & quod Physica non sit pars Metaphysicæ.


Nec etiam est ipsi subalternata sic, vt non habeat principia prima propria, ex quibus deducat suas conclusiones; nec sic, vt obiectum adæquatum eius sit illud ipsum obiectum Metaphysicæ cum additione cõditionis accidentalitatis tantum; vnde quandoquidem ad scientiam rigorosè subalternatā requirantur communiter hæ duæ vltimæ conditiones, Physica non est dicenda simpliciter, & rigorosè scientia subalternata Metaphysicæ.



DISPUTATIONES

In primum Librum Physicorum.

PHILOSOPHVS hoc libro, propositis ac refutatis aliorum Philosophorum de principiis corporum naturalium opinionibus, propriam statuit, tria docens esse rerum principia, *materiam, formam, ac priuationem*, de quorum singulis sigillatim tractabo, declarato tamen prius quid ipsum principium sit, & quomodo à principio distinguatur.



DISPUT. II.

De Principijs Corporis Naturalis in Communi.

VIA non potest cognosci, aut quænam, aut quot sint principia corporis naturalis, nisi quid sint ipsa principia, cognoscatur, hoc primò omnium hic declarandum videbatur.

QVÆSTIO I.

Quid sint principia corporis naturalis.

Multiplex
principij
acceptio.

1. **P**rinzipium multipliciter capi potest. Primò prout coincidit cum prima parte rei, siue reliquæ partes habeant dependentiam aliquā ab illa, siue non: & in hoc sensu primus palmus panni potest vocari principij eius, & primum folium, vel etiam prima linea aut littera alicuius libri potest vocari principium istius libri. Secundo potest capi pro eo quod præsupponitur alicui rei, & à

quo illa res habet aliquam dependentiam, & sic omnis causa rei, siue extrinseca, qualis est causa efficiens, & finalis, & etiam exemplaris; siue intrinseca quales sunt partes, ex quibus intrinsece componitur, & fit res; & omnia præsupposita, sine quibus non posset habere suum esse, possunt vocari principia rei, siue ipsamet sint principia, siue non. Tertiò denique potest capi principium strictius pro principiis, & causis primis rei, & hoc tam intrinsecis quam extrinsecis. Denique quarto, potest capi strictius adhuc pro principiis primis intrinsecis rei, & in hoc sensu hic agitur de principiis, quidquid dicat *Hurtadus* hic, tum quia in libro secundo agitur de principiis extrinsecis; tum quia alias falsum esset dari tantum tria principia rerum naturalium, quandoquidem præter materiam, & formam, & priuationem, detur etiam causa efficiens, quod est principium necessarium ad esse rerum naturalium. Nec refert quod Philosophus in proœmio huius libri proposuerit se acturum de principiis omnibus rerum naturalium: nam inde non sequitur quod in hoc ipso libro omnia illa principia definierit.

CONCLUSIO

2. Bene describuntur principia prima intrinseca rerum naturalium esse, quæ neque ex se inuicem, neque ex aliis, sed omnia ex ipsis fiunt. Hæc est communis Peripateticorum cum Philosopho hic text. 42.

Descri-
ptio prin-
cipiorum
primorū.

Probatur autem, quia omnibus, & solis huiusmodi principiis competit hæc descriptio: omnibus quidem competit, quia illud ex quo aliud fit, ex hoc ipso capite est principium intrinsecum eius, & si illud non fiat ex aliquo alio, non est principium intrinsece, nec aliud principium intrinsecum prius seipso: ergo est primum principium intrinsecum. Non conuenit etiam aliis principiis; quia si vllis, maxime principiis extrinsecis, v. g. causæ efficienti, aut finali, aut exemplari: sed non conuenit his, quia non dicitur proprie & in rigore res fieri ex causa efficiente, sed à causa efficiente, nec ex causa finali, sed propter causam finalem; nec ex causa exemplari, sed vel à causa exemplari, vel iuxta aut secundum similitudinem aut proportionem ad causam exemplarem: ergo hæc descriptio non conuenit aliis causis, quam intrinsecis.

Confirmatur ex solutione obiectionum, quæ certè occurrunt satis graues.

3. *Obijciens primo*: Tam materia prima, quam forma substantialis, quæ sunt principia corporis naturalis, & hæc, vt talia, describi dicuntur, fiunt ex partibus suis integralibus, & etiam possunt dici fieri ex partibus suis metaphysicis, ergo falsum est, quod principia corporis naturalis non fiant ex aliis.

Respondetur distinguendo antecedens: fiunt ex aliis tanquam ex partibus essentialibus physicis, aut ex termino à quo essentialiter præsupposito, nego antecedens; fiunt ex aliis tanquam ex partibus integralibus aut metaphysicis, aut alio quomodocunque modo, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia in definitione intelligitur quod principia non fiant ex aliis tanquam ex partibus essentialibus physicis, aut termino à quo essentialiter prærequisito.

4. *Obijciens secundo*, forma, quæ est vnum ex principiis corporis naturalis, fit ex materia, quæ est alterum principium eius: ergo falsum est, quod principia non fiant ex se inuicem.

Et si dicatur, quod non fiat ex materia tanquam ex parte componente aut termino à quo: *Contra*, quia saltem fit ex priuatione tanquam ex termino à quo, quod sufficit ad impugnationem conclusionis.

Respondent plures Thomistæ formam non fieri proprie loquendo & vt quod; nec ex materia, nec ex priuatione, licet fiat improprie loquendo, & vt quo: in definitione autem principiorum intelligitur quod nō fiant ex aliis, nec ex alterutris proprie loquendo, & vt quod, sed quod alia quæ fiunt vt quod & proprie loquendo, fiant ex principiis. Et sane hæc responsio potest accipi ex doctrina Scoti in 1. dist. 3. q. 2. appendici difficult. 3. vbi docet ex mēte Philosophi non posse dici proprie loquendo, quod forma
fiat